



Introductio ad Historiam Ecclesiasticam.

1. *Quid est Historia Ecclesiastica ?*

Est rerum ad Ecclesiam Religionemque pertinentium notitia & commemoratio.

2. *Quotuplex hac est Historia?*

Duplex, veteris nempe & novæ Legis. De illa egimus in primo; de hac in sexto hoc opusculo agendum erit.

3. *Quid porrò est Ecclesia?*

Est omnium, Christi fidem atque doctrinam profitentium Congregatio, quæ ab uno supremo Præsidente, Christi nempe in terris Vicario, gubernatur.

4. *An non plures existunt Ecclesia?*

Tametsi Ecclesiam pro locorum linguarumque diversitate appellemus Latinam, Græcam, Gallicanam, Indicam, Americanam &c. hæ tamen omnes Ecclesiæ singulares non nisi unam, Catholicam & Apostolicam constituunt Ecclesiam, omnes omnium locorum ac temporum orthodoxos complectentem. Unum igitur Christi ovile, & unus Pastor est; is nempe, cui Christus dixit: *pasce oves meas*. Quicumque ergo Pastori huic subesse renunt, Christi oves non sunt, ac proinde nec membra Ecclesiæ DEI.